

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Oratio De Lvdis Litterariis Rite Aperiendis, VIII. Idvs
Octobris Anni M D CCXXIIX. Qvvm Novvs Scholae
Alfeldensi Rector Et Conrector Praeponerentvr**

Hölling, Johann Conrad Stephan

Hildesiae, MDCCVIII

VD18 12944130

urn:nbn:de:gbv:45:1-15048

ORATIO
DE
LVDIS LITTERARIIS
RITE APERIEN-
DIS,

VIII. IDVS OCTOBRIS ANNI

clō lo c cxxiix.


QVVM

NOVVS SCHOLAE ALFELDENSIS
RECTOR ET CONRECTOR
PRAEPONERENTVR,

HABITA

A

IOANNE CONRADO STEPHANO HOELLING,
SERENISSIMI COLONIENSIVM ELECTORIS IN CONSI-
STORIO, AVGVSTANAE CONFSSIONI ADDICTO,
QVOD EST HILDESIAE, CONSILIARIO ET
SVPERINTENDENTE GENERALI
ALFELDENSIS, cet.



HILDESIAE,
TYPIS IVSTI HENNINGI MATTHAEI,
ANNO M D C C XXVIII.

N 22





B.I.G.

Farbkarte #13

8 7 6 5 4 3 2 1
19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1
res e

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan



SPECTATISSIMO DOMINO CONSULI, p.t. REGENTI,
DOMINO

MELCHIORI CONRADO *Reps* /

DOCTISSIMO CONSULTISSIMOQUE DOMINO SYNDICO,
DOMINO

LEONHARDO PHILIPPO *Reiche* /

SPECTATISSIMO DOMINO CONSULI,
DOMINO

IOANNI LVDOLPHO *Söding* /

SPECTABILIBVS DOMINIS CAMERARIIS,
DOMINO

VVILLEBRANDO *Wittschieffe* /

ET

DOMINO

CONRADO *Meinhard*.

VT ET

SPECTABILIBVS DOMINIS SENATORIBVS,
DOMINO

ZACHARIAE *Konnenberg* /

DOMINO

IOANNIBVRCHARDO *Westermann* /

DOMINO

LVDOLPHO *Badenroder* /

DOMINO

IOANNI GEORGIO *Schmidt* /

ORATIONEM HANC

CVM VOTO OMNIGENAE PROSPERITATIS

DICAT

AUCTOR.

224





SPECTATISSIME DOMINE CONSUL,
p. t. REGENS,
DOCTISSIME CONSULTISSIMEQUE DOMINE
SYNDICE,
VIR
PLURIMUM REVERENDE DOCTISSIMEQUE,
CHARISSIME DOMINE COLLEGA,
VIRI
E SENATORIO ORDINE SPECTATISSIMI
ET SPECTABILES,
VOSQUE SCHOLAE MODERATORES NOBILIS-
SIMI DOCTISSIMIQUE,
FAUTORES ATQUE AMICI HONORATISSIMI,
TUQUE DEMUM AUDIENTIUM FLORESCENTISQUE
PRAESERTIM AETATIS SUAVISSIMA
CORONA.



Sillum unquam communi bono me-
tuendum malum aut huic maturan-
dum commodum erit; illud e negle-
cta iuventutis educatione orietur, hoc
vero a sedula bene locatae institutio-
nis cura originem trahet. Quemad-
modum enim nulla fere arbor in hortis succrescit, quae
non sterilescat aut saltem tortuosa euadat, si omnis cultu-

ra abfit; ita nullum tam felicitis Mineruae ingenium est, quod, citra rectam instructionem, non deflectat aut degeneret. In ingenuis etiam atque optime natis iuuenibus vsu venire solet, quod in equis generosae indolis obseruatur. Si enim horum ferocitati a primis annis occurratur, equiti ad omnem vsum erunt accommodi: Ille licet quam concitate ierit non offendet, per praecipitia haud labetur nec per confragosa vexabitur: si vero feroces equi non comprimantur, efferi atque intractabiles permanent; Sic etiam nullum tam agreste ingenium est, quod emendatione non mitescat, nisi vero praeceptis circuretur, natiuam retinet prauitatem. Vt argilla, dum vda est, fingentis manus ductum facile sequitur; ita etiam rudes animi ad quamuis disciplinam flecti possunt. Hominum itaque mores tenera aetate sunt formandi, vt per adfuefactionem adsumta forma die & vsu callum quasi obducatur. Morum vero integritas aequae ac firmitatis fideliter strato scientiae fulcro debet inniti. Haec autem scientia a primis incunabilis & florente aetate in scholis animis implantanda est, vt inde furculi depromi possint, qui tamquam arbores frugiferae in coetu fidelium & publico hominum congressu laetos ferant fructus. Cum itaque ad mutandos hominum mores nihil efficacius sit litteris, scholarum ratio praecipue habenda est. Quia vero heic comparuimus, vt nouus scholae huic patriae Rector & Conrector, quos vocamus, praeficiatur, antequam opus ipsum aggrediamur, *de ludis litterariis rite aperiendis* sermonem facere, mihi in animo est. Hanc ad telam pertexendam dum me accingo, officiose vos compello, vt laborem meum vestro fauore ac silentio subleuetis, quo mea oratio, his veluti secundis adiuta ventis, quem sibi proposuit portum facilius consequatur.

Ap-



Apposite incipiet oratio mea ab origine, vnde scholis prima salus adfluere videtur: Illa vero in *solicita Magistratus cura* de bene constituendis sapientiae seminariis consistit. Magistratus summi & infimi muneris sui auctorem non Solonem illum Atticum aut Lycurgum Lacedaemonium, sed Deum Optimum Maximum agnoscere debent. Quorum itaque praecordia de meliore luto, vt Poëta ait, sunt ficta, illi in partibus suis primas esse facile intelligunt, in hoc omnes neruos industriae curaeque contendere, vt tenerae aetatis educationem non leuiter respiciant, sed sedulo conficiant, vt iuuentus quam optime a prima pueritia vsque erudiatur & litterarum cultus in republica vigeat.

Magistratus itaque cum diligenter adlaborauerit, vt probi scholis magistri admoueantur, fructus inde amoeni conferte succedent. Quibus enim negotium profeminandae disciplinae commissum est, nihil habent prius quam vt pietate, morum sanctimonia atque integritate imbuendae aetati praeluceant, ne accidat quod vulgo aiunt: κακῆ κώρακος, κακὸν ἄρν. Sanctitas ergo *docentis* teneriores animos a malitiae labe custodiat & ferociores a licentia grauitas deterreat: cum verbis igitur facta concinant, vt ne illud vsurpare necesse habeant: doctrinam accipite, mores relinquite. (a) Succedit praeterea *cordatus amor*, quo paedagogi illos complectuntur, qui a parentibus sibi traditi sunt, vt virtuti adiungant, quos illi in vitam sub auxiliantis Numinis adiumento collocauerunt. His praesidiis armatus & hoc animo scholae praepositus, non circumforaneam quandam haustamque de triuiis ac circulis doctrinam sectatur, sed *solidis &*

A 3

haud

(a) Plato in Lachete: *Plutarchus* de liberorum educatione, & *Quintilianus* Lib. II. Inst. cap. 1,

haud tralatitiis *litteris* operam nauat. Quodsi enim omnem eruditionis ambitum, nondum sit emensus, scientiae haud ventosae saltem sit cupidus. Nihil enim peius est uis, qui, aliquantisper primas ultra lineas progressi, uanam sibi doctrinae persuasionem induerunt: nam in his omnis alendarum litterarum spes euanescit, qui uero secum habitant & curtam suam supellectilem norunt, plurima in sapientiae studio adsequentur, dum se multa nondum adsecutos esse intelligunt. Quodsi uero non proletaria doctrina aptum ad instructionem magistrum reddiderit, id sibi curae esse ducit, ut & *nosse* & *tractare* diuersa erudiendorum *ingenia* sciat: remisissis itaque exactor atque institor adest & illos obiurgatione mordet, excitat atque impellit, feruida, scientiae gloria alit, nimio tamen impetu haud debilitat, Isocratis exemplum sibi proponens, qui cum duorum dissimilium discipulorum curam in se suscepisset, Theopompum scilicet & Ephorum, alterum frenis alterum calcaribus opus habere dixit. Teneris uero protinus acerbe non est instandum, ne litterarum labores qui nondum amare possunt, eosdem oderint atque amaritudinem semel perceptam uel ultra rudes annos reformident. Id enim multos a scholarum amore fugat, quod quidam ita obiurgare solent, quasi odio flagrent. Illuc uero orationis scopus minime collimat, quasi iusta correctionis *disciplina* e scholis exfulare debeat. Diuina enim oracula contrarium uigent & parentes increpant, qui uibices filiorum dolent. (b) Nonne etiam Caesar Augustus filias palam uomicas & Carcinomata appellare consueuit? Nonne illas tandem, cum amplius ferre non

pos-

(b) Sirac, XXX, 7.

posset, in Pandateriam insulam relegavit? (c) Liberis, qui nimis indulgenter tractantur, accidere solét, quod simiarum catulis, qui nimio complexu a suis enecantur; Interim tamen quemadmodum amara medicamina dulcibus succis temperanda sunt; ita etiam reprehensionum & plagarum acerbitates mansuetudine leniendae sunt, ne in caedendo & vituperando plagosi Orbilii vestigia terantur. Esto insuper praeceptor *fidus, diligens*, laborisque patiens, esto potius assiduus, quam in corrigendo effusus, ne discipulorum animi ad litteras horrescant. Arduum sane opus, quod in scholarum puluere explendum est, & quia id ipsum nemo sine sudore & sollicitudine rite obire potest, dignum sua sparta officium praestat magistratus, si tam honori Paedagogorum, quam ipsorum rebus munifica remuneratione consulat, quod quomodo fieri possit ab aliis demonstratum est. (d)

Gaudet exercitus atque ad Martis opus animatur, si nobilium Ducum praesidio fretus esse possit; sic etiam in scholis apum more conglobata iuventus dulcia scientiarum recondet mella, si, ut apes a rege, ita a suo Doctore ad peragendum opus ducantur. Ille vero non inani- bus fabellis nutricum more animos impleat, sed semen- tem virtutis ex illis, quae proponit, faciat. Discenda itaque sunt, quae usui sunt futura, *discenda sunt optima*; nec rudis aetas, quae maxime docilis est, rebus super- uacaneis est obruenda: Quae enim parui didicimus, ea majores facti sapimus. Illam vero recte piam & sobriam educationem appellaueris, quae iuuentutem ad omne

vir-

(c) *Sueton.* in Octauio Augusto Lib. II. pag. 253. ex editione Isaaci Casauboni, Parisiis 1611. in 4to.

(d) Conf. D. *Conradi Horneii* *Reifliches Bedencken über das Schulwesen*, pag. 43. & seq.

virtutis desiderium a pueritia vsque accendit. Efficiendum itaque est, quod Plato in adolescente maximopere admiratur, vt a teneris vnguiculis adsuescat & honestis rebus gaudere & contrariis dolere. Cum vero sine Deo mens bona nulla esse possit, liberi a teneris annis ad *verae religionis* propugnaculum sine circuitione deducendi atque ad omnis virtutis cultum erudiendi sunt. Nonne vel apud gentes, quae clariore veritatis fidere carebant, optimatum filii ad Etruscos mittebantur, vt prius auguralem scientiam addiscerent, quam reipublicae clauum capefferent? id quod Romanos voluisse, memoriae proditum est; (e) nonne eadem ratio Gallos impulit, vt filios suos opera Druidarum vellent primo religionem, post politiam discere? (f) Verus autem Dei cultus & honos omnium virtutum fons est. Hac luce extincta mentibus aeterna nox & foeda caligo obfunditur: hoc fidere radiante recta ad virtutis tramitem felicitatisque scaturiginem contendimus. *Sacra ergo volumina* sedula manu versanda sunt, & quae inde ab aliis deprompta atque in angustiis quasi loculis reposita sunt, fidae ingerantur memoriae ne facile effluant nec mentem in rebus agendis consilio vacuam esse finant.

Carthaginenses quidem, proditione perterrefacti, Senatusconsulto cauerunt, ne quisquam ciuium extraneis litteris & praecipue graecis operam nauaret; (g) Sed verum est Ciceronis illud: *surdi sumus omnes in linguis, quas non intelligimus.* Qualem quaeso artibus lucem *linguarum cognitio* spar-

(e) *Valer. Max.* Lib. 1. cap. 1. de religione pag. 3. ex editione *Stephani Pighii*, Lugd. Bat. ex officina Plantiniana an. 1594.

(f) *Caesar* in *Commentariis belli Gallici* Lib. VI. p. 116. ex editione Plantiniana an. 1574.

(g) *Caelius Rhodigin* Lib. XXII. *Antiquar. Lectio*, cap. XVII.

vidit obstupuitque: Ex quo tempore iustus latinis graecisque litteris honos delatus est, hisque adserendis nil habendum est potius.

Commonstrarunt alii, quomodo facilior ad hos thesauros pateat via; (k) Praeprimis autem difficultas rei *Grammaticae* in vtraque lingua optimorum auctorum lectione temperanda est, vt quod illic regulae docent heic exempla suffulciant: Ita enim ieiuna vocum anatome nauseam haud creabit. Primum igitur & vltimum opus in sedula auctorum, quos clasficos vocamus, lectione consistit. Illi sedulo euoluendi legendi relegendique sunt, vt in succum & sanguinem, quod aiunt, vertantur. Non enim multa legenda sunt sed multum, vt grauisime praecepit *Plinius*: (l) Nihil adeo vtile est, quod in transitu proficit: non itaque multa sunt degustanda, sed pauca concoquenda.

Quamobrem in excussione optimorum vtriusque linguae artificum sedulo versetur scholae Magister: natium vocabulorum sensum indicet, sermonis elegantias & lepores commonstret, omnem orationis bene cohaerentis structuram examinet & antequam discipulorum vires compositione libera defatiget, optima illis ad imitationem exempla proponat, quod quomodo cum maxima discentium utilitate quam optime fieri possit, egregie indicauit, quem

an-

(k) Vid. *Nicodemus Frischlinus* de ratione instituendi puerum ab anno aetatis sexto & septimo ad annum vsque decimum quartum: ita vt praeter duas aut tres maternas linguas etiam Latinam discat recte loqui & scribere: Graecam vero mediocriter intelligere, insuperque rudimenta Dialecticae & Rhetoricae ad vsum scribendi conferre. Additum est argumentum hoc methodo eius declamandi posthumae, quae prodiit *Argentinae* an. 1606. p. 265. Conf. etiam *Pascali Grosippi* l. *Gasp. Scioppii* praefatio ad *Mercurium bilinguem*, qui prodiit *Mediolani* 1628.

(l) Conf. epist. 2. Lib. 1.

antea omifimus, in Germania recentioris aetatis humaniorum litterarum praeclare ornamentum, *Johannes Henricus Boeclerus. (m)* Adfiduam autem lectionem imitationisque labores insequatur frequens dicendi scribendique vsus. Nam ἐκ τῆ λέγειν το λέγειν πορίζεται, & optimus dicendi effector est stilus, qui ingenium vegetius reddit, iudicium acuit & recte loquendi scribendique facultatem parit.

Facefsant illa solidae eruditioni adeo nociua confilia, auctores, de quibus egimus, fupprimendos atque e manibus iuniorum virilisque aetatis hominum detorquendos esse, quia plurima in libris illis occurrant, quae bonis moribus pestem adferre possint. Nam etiamsi lubentes concedamus, multa in gentium profanarum scriptis deprehendi, quae male sanam originem sapiant; plurimi tamen etiam ibidem rationis, quae supermansit, fulgentes radii apparent: conspurcatas autem lacunas & loca salebrofa cautus praeceptor non quidem disimulat aut silentio praetergreditur, sed grauiter illis, quae volumina sacra suggerunt, opponit, in vitiis non vitia sed virtutes interpretatur atque ita aberrationes illas ad diuinam actionum normam emendat, & inquinamenta mentis procul esse iubet. Lectori itaque cauto semper obuerfetur sanum illud Basilii consilium, qui lectionem auctorum Ethnicorum suadet, quia vel eadem dicunt seu congruentia cum doctrina Christiana, tum vero consensus ille admodum erit suavis: vel diuersa loquuntur, & tunc collatio proderit, vt eo magis diuinae reuelationis sanctitas illucescat.

Discrimen vero inter Theologiam Ethnicam & Christianam religiose tuendum est. Et quod primum ad veram

B 2

(m) In libro lingua vernacula conscripto, cui titulus est: *Kurze Anweisung, wie man die Auctores Clasficos bey und mit der Jugend tractiren soll.* Francofurti & Lipsiae 1699. p.30. & 199.



ram Dei agnitionem attinet, Ethnici quidem e lumine naturae conuicti vnum Deum esse fateri coguntur, quem mentem aeternam esse, conditricem & conseruatricem omnium rerum & punientem scelera recte credunt; nihilominus tamen Poëtae contra hanc e natura cognitionem monstrosam multitudinem Deorum inuexerunt, seu nomina tantum multiplicantes, quae varia Dei rerumque ab ipso conditarum beneficia exprimerent, seu fictitiae huic numinam multitudini subscribentes. Multum praeterea a scopo aberrant, quando de voluntate sanctissimi Numinis agendum est. Etsi enim multa legis praecepta de moribus honeste regendis & fugiendis sceleribus splendide & copiose adferant; externum tamen solummodo opus vrgent, cordis innouationem silentes, & voluntatem Dei in Euangelio reuelatam de reconciliatione cum Deo per Seruatorem nostrum, ad omnem aeternitatem vsque benedictum, prorsus ignorantes. Neque demum legis doctrinam integram atque incorruptam retinuerunt, si vel externos mores spectemus. Ne enim de tabulae primae legibus amplius dicamus, quas per horrendas blasphemias & idolomanias commacularunt, sexti praecepti doctrinam de castitate libidinum vagarum praeceptis & exemplis spurce obruerunt, ita vt *πάρετες ἀσεβείας καὶ ἀσελγείας* & omnis nequitiae ac libidinum magistri exstiterint. Has syrtes euitaturi, quidam auctores suasoresque fuere, vt libris Ethnicorum scripta quorundam Patrum supponerentur. Ita non sine maximo iuuenturis emolumento Cicero ille Christianus, Lactantium puto, publica interpretatione illustratur, & cum in Aurelii Prudentii poematis flexanima diuinitus adflati pectoris eloquentia spiret, vel ille ad ciendos in animis legentium adfectus pios efficacissimus est. Nihilominus tamen magna rerum notitia sese nobis subtractura esset, si omnes Ethnicorum libros respuere ve-

limus: illos autem cum grano salis, vt loquuntur, in nostros vsus conuertere debemus. Nec solum dictionis puritas inde haurienda est, sed accedere quoque debet illustratio eorum, quae ad mores rerumque scientiam pertinent. Cum vero Graeci omnium vigiliarum lucubrationumque fines retulerint ad Σύνεσις, hoc est ad sapientiam recte sentientem & ad Δύναμιν ἐπιτηνευτικήν, ad facultatem perspicua oratione res bonas & vitae necessarias explicandi, Celeberrimus Dauides Chytraeus praecipuos ex antiquis auctores indicauit, quos in singulis artibus consulendos esse censet. (n)

Lux & magistra vitae *Historia* in exemplis ante oculos ponit, quae artium regulae complectuntur. Illa, quid pulchrum, turpe atque vtile sit, plenius ac melius Chrysippo & Crantore docet. Quidquid igitur laudis emeretur vniuersus artium orbis, *Historiae* conferendum erit. Hanc ergo isto animo inspicere debet iuuentus, vt non solum memoria rerum praeclare gestarum notitia impleatur, sed & vt iudicium acuatur atque animus a vitiis deterreatur & ad egregia facinora accendatur. (o) Quo vero ordine tam Latini quam Graeci *Historici* legi debeant, insigne quondam *Academiae Oxoniensis* decus, *Degoreus* *Whear* exposuit. (p)

Vt vero in lectione *Historicorum* aequae ac reliquorum eo rectius attendi possit, quae rerum cognitioni atque
 B 3 vsui

(n) In regulis studiorum, seu de ratione & ordine discendi in praecipuis artibus recte instituendo, Lit. E. 8. Ienae 1593.

(o) Conf. hoc de argumento *Erasmii Ioh. Brochmanti* *Ethices Historicae* specimen siue ad genuinam morum humanorum ex *Historiis* cognitionem manuductio, & eorundem characteres & notas indagandi via. Lugd. batav. 1653. in 12.

(p) In Relectionibus Hyemalibus de ratione & methodo legendi vtrasque *Historias* ciuiles & Ecclesiasticas. Accessiones ad easdem composuit *Ioh. Christian. Neu*, *Historiarum* in Acad. Tubing. Prof. quae luci expositae sunt. Tubingae 1704. in 8.

vsui inferuiant, *Philosophiae* sedula & satis cita opera nauanda est. O vitae, *Philosophia* gubernatrix! O virtutum parens vitiorumque expultrix! Tuum est falsarum opinionum inanitatem diripere veritatisque splendorem promouere: Tuum est vitiorum stirpes elidere virtutumque semina in hominum animis condere. Felicia nostra sunt tempora, quibus laetior *Philosophiae* vultus nobis arridet: Barbaris enim vocibus exauctoratis ineptisque ex illa deturbatis, causa integra veluti recuperatorio iudicio scholis restituta est: non amplius sapientiae studium ingenii remoris retardatur: non diutius, qui veri scientiam meditantur, fallaciis nectendisque dolis linguae tempus consumunt, quod qui faciunt festiuiter ab *Isocrate* explosi sunt, dum ait: *Οἱ προσποιῶντες μὲν τὴν ἀλήθειαν ζητεῖν, εὐθὺς δ' ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπαγγελμάτων, ψευδῆ λέγειν ἐπιχειροῦσιν.* Cum itaque humanioribus litteris renatis augustiorem etiam fortem *Philosophia* consecuta sit, de apinis tricisque non est digladiandum, sed quae rerum scientiam augere moresque hominum emendare possint, inquirenda atque inuestiganda sunt, qua de re alibi prolixius egi. (q)

Ex adlatis aperte liquet, scholas aperiri, non solum vt linguae addiscantur, sed etiam vt solidae eruditionis ac doctrinae semina spargantur. Huius vero instructionis scopus est, vt bona in Republica ciuium liberi boni fiant & mature fiant. Potior ergo honeste viuendi quam optime dicendi ratio habenda est. Quemadmodum itaque scholarum moderatores solliciti esse debent, vt suis alumniis veram pietatem instillent, ita etiam iuuenum circumspecta *morum cultura* ab illis suscipienda est. Minus morati inepti sunt ad ciuiles congressus, haud secus atque vinum austerum potioni neutiquam accommodatum est: *morum* vero pulchritudo ornamentum *ὑπέρισον* est. Sicuti autem soli fe-
ra-

(q) In Specimine Emendationum Philosophicarum, Helmst, 1706

racitas conicitur, si herbis syluestribus multoque limo refertum illud fuerit; ita animi asperitas e malis moribus colligitur, vt *Gregorius Nazianzenus* ominatus est, Iulianum Imperatorem aliquando Imperio Romano damno futurum propter ceruicem inflexam, humeros subsultantes, oculos vagos & furiose intuentes, pedes instabiles, nares contumaciam & contemptum spirantes & sermonem haerentem spirituque concisum. (r) Hac de causa bene constitutae Republicae morum diligentem rationem habuerunt. Erant enim Romae *Censores*, sub quorum regimine discrimen honesti & turpis fuit: ab his Censoria nota equites spoliabantur equis, Senatores eiciebantur e Senatu, & tribu moti, in Caritum tabulas referebantur: (s) Fuerunt Athenis *ζηνηται*, ab inquirendo dicti & Areopagitae, seueri morum Censores: (t) Fuerunt Spartaе *ἀπομοσαι*, compositores & ἱφποροι, in spectatores vitae ac morum: (u) Fuerunt denique apud Carthaginenses praefecti & magistri vitae. (x) Morum ergo cura, quae per omne annorum curriculum suscipienda est, vel de tenera aetate adhibenda erit.

Habetis, Auditores Honoratissimi, quae de hoc argumento, quantum id instituti ratio permisit, a me peroranda fuerunt. Dies enim deficeret, si causam integram exhaurire et quae de ea recte appositeque diei potuissent, adferre voluissemus. His igitur breuiter praemissis, vi litterarum committentium, quas in manibus habeo, compello Vos, Viri Nobilissimi Doctissimique, qui Scholae huic ad mouendi estis, Vosque ab AMPLISSIMO NOSTRO SENATU rite praesentatos, nomine REVEREND. ET SERENISSIMI ELECTORIS NOSTRI EIUSQUE in Episcopatu hoc Hildesienfi Augustanae Confessione addicti CONSISTORII, solemniter vt ludi huius moderatores introduco. Teque Nobilissimum Doctissimumque Dominum ZACHARIAM FRIEDERICUM

(r) Oration II, in Iulianum, conf. *Nicephorus* lib. X. c. XXXVII. 6.

(s) *Liuius* lib. X. Decad. 4.

(t) *Valer. Maxim.* lib II. cap. 1.

(u) *Xenophon* in *Republ. Spart.* & *Coelius Rhodig. Antiq. Lect. lib. 17. c. 3.*

(x) *Probus Aemylius* in *vita Hannibalis.* *Alex. ab Alexandro* lib. 3. c. 13.

CUM LÜDEKE, qui antea Conrectoris munere functus es, Rectorem: Te vero Nobilissimum Doctissimumque Dom. JOHANNEM HENRICUM FRÖLING Conrectorem huius Scholae sub auspiciis Sa- cro Sanctae Trinitatis denomino atque constituo. Nihil vobis sit antiquius, quam spartam, quae Vobis configit decenter excolere & vere exornare: Ludum hunc litterarium optimis disciplinis & pulcherrimis litteris decorate: Pietatem morumque suauitatem discantium animis ingerite. Quod si quidam bene viuendi rationem & sibi & aliis interturbauerint, ingenia illa male feriata in ordinem redigite, increpatione iusta, vitiorum exuberantes furculos amputantes & lasciuientium impetus reprimentes, in cuius disciplinae symbolum vobis virgulam hanc baculumque trado, vt pro aetatis & lasciuiae diuersitate diuerso etiam correctionis modo vtamini, qui tamen nunquam infano furientis impetu excitetur, sed paternae correctionis indolem redoleat. Vobis vero, in discantium subselliis sedentibus pueris iuuenibus atque adolescentibus pulchrum erit & decorum, haud grauate bene vos mouentibus morem gerere. Nil itaque vobis sit prius, quam vt vosmet officii vestri regionibus contineatis. Excito vos ad nobilem ingenii doctrinaeque contentionem: Ad bonas litteras laetis animis adspirate: Capessite sana studia, colite veteres latinos. Graeca etiam amplexamini sine quibus latina tractari recte nequeunt: His vero litterarum vehiculis cordibus vestris veram pietatem imprimitē morumque elegantiam alite. Et quemadmodum AMPLISSIMVS NOSTER SENATVS, qui per praesentatos iamque confirmatos & introductos Scholae Magistros novos Ludo huic consulere voluit, vel in posterum tam docentium quam discantium commoda promoturus erit; Ita quod ad me attinet nihil non connitar, ne studiis vestris defuisse videar, vel litteras Hebraicas, vel Philosophiam secundum ductum Celeberrimi Buddei Ienensium & totius Orbis litterarii luminis, vel Historiam Ecclesiasticam, aut aliam rerum diuinarum partem, si qui erunt, qui vltius progressi sunt & operas meas desiderant, libenter traditurus. Faxit benignissimum Numen, vt illi, qui Scholae huic praesunt, ad eandem exornandam animentur, vtque qui in illa litteris operam nauant, strenua diligentia docentium studium excitent. Ita litterarum exoptatus nitor ingenium reddet mitius ac elegantius vndequaue praebabit.